



B. 209.



IN
MEMORIAM
M. CHRISTIANI
KEYMANNI
RECTORIS HUIUS GYMNASII
OLIM MERITISSIMI
DIE XI. AUGUSTI MDCCCI.
HORA VIII. ANTEMERIDIANA
D I C T U R U S
AUDITORES HONORA-
TISSIMOS

OBSERVANTISSIME INVITARE VOLUIT

M. AUG. FRID. GUIL. RUDOLPH.

Dir.

Part IX.

De iuv. ad. v. a. mat.

De prudenti dubitatione. I.

Zittaviae, literis Gottlieb Beni, Frankii.

13
14

.....

T

ertium, quod in futuro ciue academico requirendum puto, prudens est ac circumspectans dubitatio (*Vntersuchung, Prüfung*) quam sententiam vereor, ne multi non modo falsam, sed etiam noxiam atque detestandam putent. Etenim, qui ætatem nostram non adducendam ad dubitationem, sed a dubitandi libidine reuocandam censent, *) probabilia, quid? quod necessaria monere mihi ipsi videntur. Attamen, si aperuero, quæ dubitatio a me commendetur, aliter, vt opinor, de mea sententia iudicabitur. Is nempe prudenter dubitare mihi videtur, qui nullam sententiam firmiorem certioremq; putat, quam rationes, quibus efficitur, diligenter docteq; exploratæ, eam reddunt; qui vnquamque sententiam vna cum rationibus eius solet cogitare; qui in rebus, quas sua obseruatione discit, diligentiam adhibet considerationis, in iis, quæ fide aliorum nituntur, non modo testem rei vna cum re ipsa memoriæ mandat, verum etiam testis fidem secundum leges seueras pariter ac æquas æstimat, in iis denique, quæ sola ratione et cogitatione confirmantur, demonstrationem memoria tenet, et num habeat vim probandi explorat; qui, tametsi non vbique addat dubiæ modestiæ vocular, semper tamen pro suæ scientiæ suiq; iudicii modulo aut dicit quidque aut negat; qui nullam cuiuscunque sententiam temere spernit, sed paratus est ad dimittendam suam, et ad reiiciendam aliorum sententiam, simulac alterutram falsam esse certo indicio cognorit; qui vno veri rectiq; amore ductus diffidit iudicio suo, ne plus sibi tribuat, quam reliquis omnibus et prudentioribus, ac ita confidit eidem, ne cui libet temere plus tribuat, quam sibi; qui diligenter ex se ipse quærit: num is sum, qui proprio Marte hac de re possim iudicare? num omnino ingenium et acumen sufficit? num satis exercitatus sum in vero inuestigando? vt naturam humanæ cogitationis eiusque limites perspiciam, notiones rite formem, argumentandi leges non modo teneam, sed etiam sequar? Num id genus scientiæ et omnis copia lectionis mihi est, quæ ad hanc rem recte iudicandam requiritur? Num est in animo meo, cur aliquid verum esse velim aut nolim, vt non libere iudicem, sed perturbationibus et coeca cupidine impediatur, quominus verum cernam?

Itaque

*) Conf. præclarus SENFFII liber: *Ueber die Beförderung der Religiosität und Moralität durch gelehrte Schulen* (Hale 1801) pag. 90 sq & pag. 125 sq.

Itaque non eam commendo dubitationem, quæ scientiæ humanæ omnino nihil veri inesse statuit, ac proprie dubitatio non est; sed eam, quæ hominem errare posse, homo semper meminerit. Non is prudenter dubitare mihi videtur, qui congerit qualiacunque et excogitat, ne credat veramque putet sententiam, sed qui argumentorum veritatem et vim examinat, ne falsa pro veris, incerta pro certis habeat. Contentionis cupidior est quam veritatis, qui contra quamlibet sententiam, si adsint, graua, minus, arguta certe leuia atque inepta profert; qui in vtramque partem oratorio impetu et leuitate sophistica disputat, ac tali modo animum distrahit ac turbat; qui ad verum querendum, non iudicis iustitiam et grauitatem, sed aduersarii animum et cupiditatem adfert. Nimum sibi placet, et ultra humanam sortem sapere sibi videtur, qui a sententia, quam optimam verissimamque cognouit, non errandi probabilitatem, quam debet, sed omne erroris periculum, quod non debet, seiungit. Leuis est et temerarius, cuius in mente nulla sententia sedet, sed fluctuat omnis, et effluit, ac temporariæ probabilitati cedit. Longissime a veri studio remotus est, qui omnes opiniones sententiasque tantidem facit. Morosus denique est atque suspiciosus, qui propter erroris periculum, non a leuitate sed ab humana imbecillitate metuendum, quidquid dicitur tanquam mox abiiciendum contemnit, ac ita impediri se patitur, quominus ea, quæ grauissimæ rationes optima verissimaque esse euincunt, a seueret, laudabili studio tueatur, ad vitam religiose transferat, ac sine vanitate, arrogantia et obtreactione aliis, si occasio suppetat, commendat.

Hæc videntur ad id, quod nunc volui, *sufficere*, vnum tamen præterire non possum, quod ad hanc animi conditionem vim habet maximam. Extiterunt nempe nostra ætate, qui, si quid propter *auctoritatem* aliorum pro vero habeatur, superstitionem putent, aut certe putarent. Quam siue opinionis siue sermonis nouitatem equidem probare non omnino possum. Quemadmodum enim, si in eo elaborare nos iuberent, vt aliorum auctoritate recte carere possimus, ingenua hæc esset & liberalis ad studia doctriæ exhortatio doctis viris dignissima: sic admodum improbanda et maxime noxia videtur, si prudentum et peritorum hominum auctoritatem esse negligendam. Multi cogitant ac in verum inquirunt, sed horum non omnes iudicare ipsi possunt. Is demum ipse iudicare potest, cui nec ingenium, nec acumen, nec ratio, nec exercitatio, nec rei, quam iudicare vult, docta scientia deest, nec voluntas & cupido obstat, quo minus ve-

nuffi

rum cernat. Qui his siue naturæ siue studii dotibus caret, aut qui minus, quam alii, iis instructus est, is, si prudentum aut prudentiorum auctoritatem spernit, non docti hominis acumen et grauitatem ostendit, sed stultorum vanitatem et temeritatem. Quodsi igitur imperiti homines ac leues summorum virorum instituta iactabuadi reprehendunt: aut ridenda aut coercenda eorum petulantia est; sed quid iis facies, qui ita statuunt, vt, sublato omni auctoritatis pondere, imperitissimus quisque et vanissimus tantundem suæ opinioni, quantum summorum hominum iudicio debeat tribuere? Itaque grauis viri et prudentis et honesti, qui argumenta haud fallacia dedit subtilitatis & scientiæ et cautionis, qui tanquam iudex rem ponderauit, non tanquam altercator clamorosus declamauit, eius viri sententiam, tametsi rationem nullam adiecerit, aut rationem allatam parum nobis probauerit: tamen non facile improbandam, sed alta in mente reponendam, ac iterum iterumque explorandam cenfeo. Facillime enim accidit, vt ignoremus aliquid, quod iste siue didicit, siue expertus est, vt, siue nostra siue auctoris culpa, aliquid male intelligamus; vt, quod eius sententiæ nostra in mente repugnat, non verum sit et stabile decretum, sed opinio falsa et temeraria. Neque erit, cur in nobis auctoritatem doctiorum haud repudiantibus temeraria reprehendatur assectatio, dummodo parati simus ad quamque sententiam ita dimittendam, vt quæque earum ratione certa, et diligenti cura, et iudicio constante victa fuerit et infirmata.

Non est, cur repetam, quid huic scripto et orationi indictæ occasionem dederit. Preces addendæ sunt, vt *Senatus Amplissimus, Ministerium plurimum venerandum, Collegæ Clarissimi ac omnes Gymnasia nostri Fautores* actum hunc oratorium sua velint præsentia et attentione ornare,

P. P. Dom. X. post Trinit. MDCCCI.

cf 4264.8^r

ULB Halle

3

002 160 943




sb

1018

n. C.





Farbkarte #13

B.I.G.

Blue

Cyan

Green

Yellow

Red

Magenta

White

3/Color

Black

13
14

IN
ORIAM
ISTIANI
MANNI
UIUS GYMNASII
ERITISSIMI
GUSTI MDCCCI.
NTEMERIDIANA
TURUS
ES HONORA-
SIMOS

E INUITARE VOLUIT

. GUIL. RUDOLPH.

Dir,

ert IX.

ad. v. a. mat.

dubitatione. I.

Gottlieb Beni, Frankii.